

- 52 In qua Congrua arbitranda, non solum redditus certi, sed & incerti sunt computandi, *Rota decis. 230. num. 3. p. 6. recent., Panimol. decis. 14. adnot. 2. num. 5.*
- 53 Verum non spectare hoc onus reparationis ad Episcopum, videbatur verius, & certius tenendum esse, ex quo neque habeat integram Congruam taxatam à Concilio Trid. sess. 24. cap. 13. de reform., afferitur enim habere in redditibus tantum Scuta 650. Monetæ Romanæ, quæ non pertingunt ad scuta mille illarum partium, quæ vix sufficiunt pro honestis alimentis Episcopi.
- 54 Clara enim est dispositio, *tex. in cap. de his, de Ecclesiis edificandis*, quod eatenus beneficiati tenentur ad onus fabricæ de redditibus Ecclesiæ, si eis supersint ultra alimentata, undè non sumus in casu regulæ, quo omnes allegati Doctores loquuntur, sed in Casu limitationis regulæ quo Episcopo Comaclensi redditus non supersint.
- 54 Quod latè ostendit *Eminentissimus D. Card. Capisucus in suis Controversis, Controvers. 30. §. 5. Versic., & quidem si Ecclesiastici redditus ibi (ita ut adhuc post congruam sui sustentationem aliquid superfluum remaneat) & ex Cajetano ibi (si autem redditus sint pingues, & abundantes, ita ut in sapientis animum cadere non possit, quod sint Episcopo designati pro ejus sustentatione, tunc tenetur Episcopus duas quartas ad minus distribuere juxta Canones, in pauperes Unam, & in Ecclesiæ fabricam alteram.*
- 56 Prænotaverat autem hic sapientissimus Auctor, quod à principio Ecclesiæ omnes oblationes in Communi Massa redigebantur, deinde una portio pro alimentis ministrorum Ecclesiæ, inter quos primum locum obtinebant Episcopi, qui Apostolis successerunt; secunda portio pro Ministris inferioris Ordinis, qui, & Beneficarii dicti sunt; tertia portio distribuebatur in alimentis pauperum; quarta pro fabrica Ecclesiæ *ad tex. in Can. Duo sunt 12. q. 1., Can. decimæ 16. q. 1.*, quia intentio pia offerentium talis erat, ut sic oblationes distribuere ad notata per *Barbosam de Universo Jure Ecclesiastico lib. 3. cap. 17. nu. 15.*
- 57 Succedente tempore, crescente numero Fidelium, Ministrorum Ecclesiæ, & pauperum ad evitanda plura incommoda facta est oblationum, & bonorum, stabili-

lium divisio, & Episcopis assignata fuit Congrua portio sibi, pro sua prudentia administranda, *ad tex. in Can. Vobis, Can. de redditibus, Can. Cognovimus, Can. Mos est, Can. Sancimus 12. q. 2., & cap. 1. de Ecclesiis edificandis*, & latius explicat *Fagnan. in cap. si quis sane à num. 15., & seqq. de peculio Cleric.*

58 In qua divisione, & assignatione congruæ non æqualiter, nec pariformiter ubique practicatum est; nam in aliquibus, locis, pingues redditus satis assignati fuerunt Episcopo, comprehensis in eis portione distribuenda pauperibus, & portione fabricæ reparandæ; alicubi verò minores redditus qui solum Episcopo, & pauperibus sufficerent, separando seorsim portionem fabricæ, prout in aliquibus locis, & Ecclesiis practicè constat; in aliquibus autem Ecclesiis propter populorum Inopiam vix Congrua portio alimentorum necessariorum, Episcopo destinata fuit.

59 Hinc dato tempore successit quæstio, quædo nam portio fabricæ consignata fuisse intelligatur Episcopo, comixta cum, sua alimentorum, portione, & quia ad dirimenda Doctorum placita, non quælibet auctoritas sufficit, idèd Concilium Trid. sess. 24. c. 13. de reform. declaravit, Congruam portionem pro alimentis Episcopi, debere ascendere ad scuta mille illarum partium, & pro Parocho ad scuta centum, quæ portio non debet gravari pensione, ut remaneat libera Episcopo, & Parocho, pro alimentis ad tradita per *Paris. de resignat. lib. 6. q. 2. num. 34., & seqq., Garzias de benefic. p. 1. cap. 3. num. 393., Azor. p. 2. lib. 7. cap. 21. q. 8., Barbosa ad Trid. sess. 24. c. 13. de reformat. num. 13., & ista portio debet remanere pariter libera ab onere fabricæ, Antonell. de regimine Ecclesiæ lib. 1. cap. 2. num. 23.*

60 Tunc ergo solum Episcopus tenetur, ex redditibus Episcopalibus ad refectionem fabricæ Ecclesiæ, & Domus, quando ultra congruam sibi concessam à Concilio pro alimentis, aliquid supersit, *Sperell. decis. 67. num. 39.*, ac propterea *glos. in cap. de his de Ecclesiis edificandis in V. Cogi debent addit (si partem fabricæ recipiant) argu. de sumptio ex Can. Decrevimus xi. q. 1., & glos. in cap. Ult. de his quæ fiunt à ma. parte capit in V. fabricam, ibi*, licet enim ille solus te-

neatur

neatur ad restaurationem fabricæ, qui partem deputatam fabricæ recepit.

61 Ex fructibus ergo designatis pro congrua sustentatione, ut est congrua conciliaris, non tenetur Episcopus reparare fabricam Ecclesiæ *Butrius in d. c. de his n. 1., Abbas, Ancharan., & Zabarella num. 2., & post eos Rota decis. 454. num. 2., impressa in Postibus, Farinac. p. 1.*

62 Quæ resolutio clarè deducitur, *ex eod. c. de his, Verbo si supersint* considerata dictione *si*, quæ conditionem importat, *l. 1. Ubi Doctores ff. de Condit., & demonstr., Barbosa dict. 364., ubi num. 4.*, quod etiam formam importat, conditione autem nõ posita non oritur obligatio, *l. Que hæredi, l. Mettius ff. de Condit., & demonstr., & in his terminis loqui sunt omnes Doctores allegati pro Communitate, & Populo Comaclensi.*

63 Sed scribentes debebant omisissis superfluis, & inutilibus allegationibus, probare, quod redditus pro Congrua Episcopi assignati, excedunt, ita ut ultra necessaria alimenta aliquid supersit; habet enim ille Episcopus intentionem fundatam in Conciliari taxatione, quod non supersint, dum nõ excedit scuta mille illarum partium, immò nec integrat, ut bene consideranti, & computa facienti patet.

64 Necessè autem est considerare Verba, & intentionem Sanctæ Tridentinæ Synodus, quæ hanc summam in mille taxavit; quia scilicet conditio, & dignitas Episcopalis non debet vilescere, sed debet necessariam familiam habere, eamque alere juxta conditionem, non tamquam rusticos, & discalceatos, sed tamquam ministros honorarios, ac Civiles, ad notata per *Garziam de benef. p. xi. c. 5. num. 320., Filiuc. tract. 41. cap. 7. q. 4. num. 19., Gonzal. ad reg. 8. hodie 9., Canzel. glos. 15. num. 39., Barbosa de Universo Jure Ecclesiæ lib. 3. c. 17. n. 20.*

65 Propter hoc semper constans fuit sententia Rotæ, & Doctorum, quod Episcopalis congrua debeat esse libera ab omni onere, *Ludovif. decis. 507. num. 5. 6., decis. 245. nu. 12., ubi addent, & in recent. decis. 763. num. 1. p. 2., decis. 745. nu. 3. p. 3., Biccibus decis. 255. num. 24., Burat. decis. 418. num. 1., & in recent. p. 17. decis. 184. num. 2., & 3., Barbosa de potestate Episcopi alleg. 120. num. 4., Uivian. de Jure patr. lib.*

*2. cap. 4. num. 31., & iterum Rota p. 18. recent. decis. 351. num. 16.*

66 Quando dicitur, quod Congrua debet remanere libera pro alimentis Episcopi, explicatur Verbum *libera*, idest sine diminutione ad allegata per *Marchesam de Commission. p. 1. de Commis., Appel. in Causis Pensionum §. 2. decis. coram, Litta in Casentina pensionis, ubi, & Rota Coram Pamphilio*, quod Verbum *libera* intelligitur, idest deductis oneribus.

67 Rationem reddit, *Fagnan. in cap. si quis sane num. 29. 30. de peculio Cleric., & Joan. Andr. in cap. de his de Ecclesiis, edific. in V. supersunt*, quod benè ordinata Charitas exposcit, ut prius Episcopus sibi subveniat, deinde Proximo si supersint, *arg. ex cap. Qui vult. de pœnit. dist. 3., & idem Fagnan. loco supra num. 32., ait alimenta beneficiati Regulariter, reparationi templi antepo-*

nuntur.

68 At quia adhuc erat disceptatio Doctorum, quibus caput non dolet, licet ad libitum scribant, sine ratione, quod Congrua possit esse major, vel minor inspecta locorum conditione, idèd *Rota decis. 389. num. 18. p. 18. recent. declaravit*, quod Congrua necessaria pro alimentis Episcopi, non possit taxari in minori summa, quàm scutorum 700. Monetæ Romanæ, Immunem à Reparatione Palatii, ad quàm summam non pertingit Congrua Episcopi Comacl.

69 Immo ratione loci Congruam taxandam esse multoties majorem, quàm taxatam à *Trid. Rota decis. 1. num. 8. p. 19., & decis. 420. num. 1. p. 1., & decis. 112. nu. 7. p. 19. recent.*, & propter hoc remittitur taxa arbitrio prudentum, idest, ut augeatur ultra taxatam à *Trid.*, si Circumstantiæ exposcant.

70 Audiendi autem sunt, prudentissimi, & sapientissimi Episcopi, qui experientia edocti scripserunt de hac Congrua necessaria pro alimentis Episcopi; *Rutilius, Benzonus Episcopus Lauretan., & Recanaten. in suo speculo Episcoporum lib. 2. q. 2. art. 3. in septima conclus. in fine primæ sequellæ*, loquendo de taxa Conciliari scutorum mille pro Episcopo, ait (*judicarunt Patres illi in Synodo, prædictam summam necessariam esse ad sustentationem Episcopi, & hodie vix cum ducentis supra mille frugaliter, Vita Episcopi peragi potest, ut experientia docet.*)



- 71 *Aloysius Riccius* Theorica, & practica, ac dignitate Ecclesiastica insignis, & eruditus in sua praxi aurea p. 1. resol. 528. testatur, se iudicasse in quadam Causa sibi delegata, Parochum non teneri ad reparationem Ecclesiæ, ex quo redditus Ecclesiæ non excedebant ducatos centum, & ibi ex pluribus notat, quod ubi congrua non excedit taxam conciliarem, neque Episcopus, neque Parochus tenentur ad onus fabricæ.
- 72 *Franciscus Leo Episcopus Telesinus* in suo *Thesauro fori Ecclesiastici* p. 2. c. 16. à num. 47. & seqq., disputat articulum, utrum Beneficiatus, qui habet tantum Congruam Conciliarem, teneatur ad reparationem Ecclesiæ, & domus Parochialis, & dicit, quod Concilium novit summam taxatam pro Episcopis, & Parochis esse necessariam pro alimentis, & Indumentis, nec cum minori annuo reddito decenter vivere posse, & consequenter neque Episcopum, neque Parochum teneri ad reparationem Ecclesiæ, aut Domus, nisi habeat redditus superexcedentes taxam congruam, & tunc juxta excessum, & non aliter debere concurrere ad fabricam.
- 73 *Antonellus Archipresbiter Urbevitanus tract. de reg. Ecclesiæ lib. p. cap. 2. n. 20.* ait (Quod si fructus Ecclesiæ Parochialis non excedunt summam centum ducatorum, Parochus non esset gravandus pro reparatione Ecclesiæ, sed tunc compellendi sunt Parochiani, quia hanc summam videtur perscripsisse Concilium ad honestam rectoris sustentationem) quæ ratio militat etiam in Episcopo.
- 74 Et quia distinguit inter expensas modicas, & magnas, declarat pariter idem *Antonellus*, quod nomine modicæ expensæ intelligat Incrustationem, dealbationem, & in aliqua muri parte, restaurationem, & tunc Parochus tenetur usque ad tertiam partem sumptus; Ex quibus Collige, quod neque in modicis, & quæ ferè non sunt considerandæ expensæ, beneficiatus teneatur ad totum, multominus in reparatione Fabricæ, de qua agimus, cujus expensæ erunt considerabiles, dum Domus ruvinam minatur.
- 75 *Ex Sacra Rota coram Cavalerio decis. 498. in Cremonen. Pensionis lune xi. Martii 1619. num. 3.* resolvitur, quod Congrua conciliaris debet esse libera ab onere fabricæ.

- 76 Pluribusque decisionibus, nempe *decis. 23., decis. 351., decis. 389. p. 18. recentior., decis. 420. num. 3. p. 1., decis. 449. num. 2. p. 2. recent.*, ubi, & aliæ *decis. allegatæ*, declaravit *Rota Romana*, Congruam Episcopi debere esse tantam, ut non solum simpliciter, sed commode, & secundum dignitatem vivere possit, juxta *tex. in cap. 1. de Privil., & Can. Episcopi dist. 80.*
- 77 Attenta ergò tenuitate reddituum scutorum 650. pro Episcopo Comaclen. constat Populum teneri in subsidium, neque potest allegari, quod Episcopus abusus sit ad luxum, aut ad augendos Coniunctos, cum vix sufficiant ad Victum necessarium suæ Conditionis.
- 78 Qui autem scripserunt ex adverso nimis demissè, & utiliter se sentire de dignitate Episcopali demonstrarunt, debebant enim, cum sint Juris periti, memorari Imperatores, magna cum reverentia loquutos de Episcopis, nominando eos Sanctissimos, ut in *Autb. de Sanctissimis Episcopis collat. 9.*, Appellantur Pontifices, *Can. Pontifices 7. q. 1. c. Messana de elect.*, dicuntur Legati Christi *c. Accusatio quoque in fine 2. q. 7.*, itaut, nec major Dignitas sit in Ecclesia *c. 1. de privil., c. penu. de Prebend.*, Pontifex summus, se ipsum Episcopum nominat, & Episcopos Fratres, *c. si Episcopus 2. q. 9. c. Transmarinos, c. Apro. d. 98., Clem. 1. §. nec super de Pœnis; Unde D. Tho. 2. 2. q. 103. art. 1., & 2. testatur*, quod Episcopi in summa haberentur reverentia à populis, & *D. Hieronym.*, quod transeuntis Episcopi pedes Populus Univerfus in terram stratus deosculabatur.
- 79 Et quia non solum homines agrestres, sed & ceteri populi magis sensu, quam mentali cognitione moventur, prudentia suppeditavit, necessarios esse quosdam extrinsecos apparatus, familiæ numerum, & qualitatem, ad Episcopi Commitatum, quibus Populus in officio contineatur, & ad venerationem excitetur, ne tanta vilescat dignitas.
- 80 Hinc, & Episcopi Sanctitate conspicui, humilitate insignes, Virtutibus omnibus ornatissimi, & Ecclesiæ præconio Canonizati, ut *S. Franciscus Salesius, S. Carolus Borromeus, S. Jo. Cbristostomus*, aliisque permulti, aulicos apparatus non reicerunt, & Ministrorum, ac Familiarium numerum

rum ad honestatem alebant.

- 81 Laborabant etiam in obscuris, ex adverso, qui dicebant ultra redditus certos, etiam incertos esse in Congruam computandos, qui augebunt Congruam Episcopi, de qua agimus; nam si intelligant de Incertis titulotamen beneficiis provenientibus, ut sunt Decimæ, primitiæ, hoc concedimus, si verò de incertis, quæ, vel ex liberalitate subditorum, quandoque mittuntur, vel ratione laboris, ut de Cereis in Sacra Ordinatione oblatis, tunc omnino non esse incertos redditus computandos pro constanti dixerunt *Rebuff. de Congrua q. 11. n. num. 87., Bellet. disquis. Cleric. de Clericis debit. §. 16. num. 3., Rota decis. 449. num. 6. p. 2., decis. 1. num. 9. p. 19. recent.*, Addent. *ad Lodovis. decis. 429. num. 8., Burat. decis. 418. num. 5., Bicobius decis. 255. nu. 13., & in recent. decis. 230. num. 3. 4. p. 6.*
- Redeamus ad materiam in articulo propositam.
- 82 Amplia duodecimò, ut negligens defendere, aut recuperare bona, & Jura suæ Ecclesiæ iniuste occupata, de sua negligentia teneatur ex allegatis per *Bellet. de Clerico debitore d. §. 7. nu. 5. per tex., & ibi glos. in c. ea que in V. negligentia de off. Archid., & c. quicumque 12. q. 4., Sanchez de Matrim. lib. 6. d. 4. nu. 15.*, ea ratione, quia ex Justitia, & quasi contractu sibi demandata est defensio, & custodia suæ Ecclesiæ, & bonorum ejus, *Barbosa de univ. jur. Eccl. lib. 3. c. 29. num. 9. in fin.*
- 83 Limita primò, si majores essent faciendæ expensæ, quam esset debitum principale, aut quam inde lucri percepturus esset *per tex. in l. Mediterraneæ C. de anno, & tribut. lib. 10. notavit Graff. tom. 2. consil. lib. 1. sub. tit. de transact. consil. 1. num. 22. 23.*
- 84 Limita secundò, si defensio per vim faciendâ esset, contra rapientem resistendo, quia ad hoc non tenetur juxta dictum *D. Ambrosii relat. in c. si tributum 11. q. 1., ibi, Imperatori non dono, sed non nego.*
- 85 Amplia decimotertio, ut Parochus negligens describere in libro ad id parato Baptismum puerorum, cum omnibus circumstantiis temporis, & Personæ, idest nomine Patris, Matris, & Patrinorum, sicut, & Matrimonia coram se à suis Paretianis inita, notando tempus, & testes, in qua descriptione servari debet forma Ri-

- tualis Romani; ita pariter mors, & sepultura sub die, & Anno Paretianorum, vel etiam aliorum, qui in sua Ecclesia sepulture traderentur; vel etiam Confirmationis, si Episcopus in sua Ecclesia Parochiali, vel in Matrice, vel alia ejusdem Paretianos confirmavit; negligens inquam, hæc omnia exactè describere graviter peccat propter multa incommoda, & gravia, quæ Populo obvenirent ommissa, & neglecta eorum descriptione, *Trid. sess. 24. c. 1. de reform., & modo celebrandi Matrimonium, Fuscus de visitat. lib. 2. c. 3. nu. 26., Possavin. de off. Curati c. 6. num. 44., c. 12. num. 42., Barbosa ad d. c. 1. Trident. nu. 126. & de off., & potest. Parochi lib. 1. c. 7.*
- 86 Quæ negligentia erit peccatum mortale, quia in re gravi deficit in præjudicium proximi, nam ex libris Baptismorum, & Matrimoniorum probatur ætas, & legitimitas filiorum, validitas Matrimoniorum, *Rota coram Burato decis. 116. nu. 2., & decis. 877.*, à quibus, ut plurimum pendet successio in hereditate, vel consanguinitatis, aut affinitatis probatio, & alia plura relevantia, ex quorum defectu multa possunt sequi præjudicialia, tum in probanda ætate ad Sacros ordines suscipiendos requisita, *Farinac. frag. vim p. 1. V. ætas num. 141., Bellet. disq. Cleric. tit. de Clerico teste §. 1. n. 9. 10.*, tum in Matrimoniis contrahendis cum impedimento cognationis, affinitatis, aut consanguinitatis, tum in casu probandæ poligamiæ, quod notavit *Sanchez de Matrimo. lib. 2. decis. 15. num. 22., Reginal. lib. 31. num. 242. V. ultimo, Gutierrez. de matrimo. c. 6. num. 9., Nald. summa V. Parochus num. 20., Pontius de matri. lib. 6. c. 11. num. 4., Possavin. de off. Curati c. 12. num. 44., Barbosa de Potest. Epif. alleg. 32. num. 174., & de off. Parochi p. 1. c. 7. num. 6., num. 8., & 12.*, ubi alios allegat.
- 87 Hinc sequitur gravis obligatio diligenter custodiendi eos libros, ita ut si ex negligentia Parochi perirent, non minori culpa gravaretur, cum ex amissione eadem prorsus sequerentur incommoda, quæ in non descriptione, *Barbosa de off. Parochi d. c. 7. num. 19.*
- 88 In Visitatione hujus diocesis, ex delegatione per me facta in casu practico, quo quidam Parochus omiserat scribere in libro Matrimonia coram se celebrata, licet se excu-